

Verum peccata venialia sint con-
fiterenda de necessitate salutis.

Capitulum VII. Pater

De peccata venia-

lia confiteri prout plurimi
doctorum asserunt non est de necessitate
salutis quia nullus propter peccata venia-
lia si non assint mortalia a consortio fide-
lium separabitur. Debet tamen quilibet in-
quantum valet. a se etiam minima pecca-
ta propulsare. quia minimum peccatum potest
fieri in conspectu dei magni. dum sibi pla-
cet. unde richardus de sancto victore
quod si ex fragilitate nostra venialia pec-
cata committimus. nequaquam tamen pro huius-
modi de consortio fidelium separamur.
Debemus tamen in quantum valemus
et deus adiuerit ea propulsare de nos-
tris. quodlibet enim peccatum liceat homi-
nibus videatur minimum si non displiceat
apud quod iudicem iustum sit magni. dicit nam-
que augustinus. Nullum peccatum criminale dum
displicet nullum veniale dum placet. Stu-
diamus igitur non solum magna. sed etiam
minima vitare peccata. ne si minima
contemnimus. paulatim defluamus. hinc rich-

Unde salubre est etiam de pec-
catis venialibus confessionem facere. quia
dum minoris peccatis medicamenta
non adhibentur. per medium confessionis et con-
fessionis ac alia pia opera. valde cor in-
frigidat hominis. et reddunt faciliores ad
alia maiora peccata perpetranda. pro-
pter hoc dicit beatus augustinus. Non
solum ad confitendum mortalia verum
etiam venialia sic hortatur dicens. Qui
confiteretur peccata sua et accusat ea. iam
pactum cum deo facit. Excusat deus
peccata tua si et tu accusas conuictus
deus. oportet quod oderis in te opus tu-
um. et ames in te opus dei. inicitus om-
nium bonorum operum. confessio est ope-
rum malorum. et tunc facis veritatem

quia non te palpas non tibi blandiris.
fac igitur veritatem confessionis. et ve-
ni ad lucem in operibus bonis etiam pro-
pter illa. que videntur minuta peccata
lingue aut cogitationum aut immode-
rationis in rebus profectis. quoniam mi-
nuta peccata plura. si negligantur oc-
cidunt. Minuta sunt gutte que flumi-
na implent. minuta sunt grana arene
sed si multa arena imponatur. premit
atque opprimit. hoc facit sentina neglec-
ta. quod fluctus facit irruens sed diu
intrando et non exhauriendo mergit
navem. Quid est autem exhaurire nisi
si bonis operibus agere ne obruantur pec-
cata. gemendo ieiunando tribuendo igitur
noscedo. hinc augustinus. Necessesse igitur
est qui gratiam dei desiderat habe-
re: et in summi sponsi et amici amplex-
ibus frequentius manere ut a pecca-
tis non solum mortalibus. sed etiam ven-
ialibus studeat se cohiberi. Si autem
ex sua negligentia aliquam maculam
etiam venialis peccati contraxerit. pro-
tinus conetur illam per confessionem
et penitentiam a se expurgare. ne cum
gratia et consortio tanti hospitis con-
tingat carere. De hoc quidam doctor sic
dicit. Caveamus quantum possumus
ne aliquid in nobis inueniat dominus
noster ihesus christus. quod oculos eius
offendat et si forsitan ut solet humane
condicionis fragilitas aliquam neg-
ligentie maculam contraxerit. citius
per confessionem et penitentiam lacri-
marum abluere eam omni studio festi-
nemus. ne diu sine amici nostri mane-
amus amplexu. quia paratio est nos
recipere. quam perdere tantum si non tar-
demus de die in diem reuerti ad deum
hinc enim duo mala odit deus omni-
potens in omnibus hominibus. id scilicet
negligentiam reuertendi et negli-
gentiam sue salutis desiderandi hinc il-

le. Ex dictis igitur colligere possumus bonum et salubre esse etiam peccata venialia per confessionem abstergere. ut eorum magis purgatum ad suscipiendam gratiam. unusquisque possit habere. **Filius**

Sicut etiam desiderio utrum facta confessione teneatur quis iterare confessionem. vel si sint aliqui casus propter quos oporteat confiteri iterare confessionem prius factam. Et si quis peracta penitentia recidivum fecerit iterum cadendo in peccatum. utrum teneatur talis peccata prius confessa propter hoc reiterare confessionem factam resumendo aut penitentiam. Ca. VIII. **Pater.**

Notare deus quod

confessionem semel bona fide factam ei. qui potuit absolvi. nunquam tenetur homo reiterare nisi velit. ut inquit dicitur in quadam questione de quolibet quod non potest aliquis auctoritate cuiuscumque hominis compelli ad confitendum peccatum. quod alteri confessus est qui absolvi potuit. quia confessio peccatorum est quoddam sacramentale divini imperio subiactum non humano.

Sunt tamen casus in quibus tenetur homo confessionem non rite factam iterare et hoc in quatuor casibus. ut propter defectum confessoris aut propter defectum confitentis. Propter defectum confessoris dupliciter. aut quia defuit ei clavis potentie. eo quod non potest de illo peccato absolvi. aut quia defuit ei clavis scientie. quia nescit discernere. Propter defectum confitentis dupliciter. aut quia dimidiavit confessionem id est quia scienter tacuit aliquod peccatum mortale. aut quia contempsit seu neglexit satisfacere et oblitus est satisfactionem iniunctam. nam si sciret eam implere vellet. non oporteret confessionem iterare. Cum supradictis

scaris videtur recordare in pluribus Raym. et hostiensis. ipsi tamen ponunt etiam casum de eo qui in proposito est non deferendi peccatum. propter tales igitur casus ut premissum est tenetur homo confessionem non debito modo factam reiterare. **Q**uidam confessus fuerit peccata ut debuit et cui debuit. reiterare non tenetur nisi velit. propter magis certum. quia quanto frequentius et pluribus quis sua crimina sub spe venie confessus fuerit tanto portioris veniam suorum scelerum et habundantioris gratiam a domino consequetur. **V**idendum est etiam de hoc utrum post completam penitentiam recidivans teneatur iterare illud recidivum quod omnia alia que commisit confiteri maxime si confiteatur tali qui nunquam alius audivit eum. **N**on credo quod teneatur dicere specialiter et distincte ea que ante confessus est. sed sufficit confiteri generaliter de illis exprimendo ingratitudinem suam et dicendo de multis et magnis peccatis mortalibus liberauit me dominus propter penitentiam et ego ingratus existens nihilominus sic offendi eum. ut si forte nesciat exprimere aut non exprimat ingratitudinis nomen non nocet. dum talia dicat verba. quia ex quibus sacerdos ingratitudinem illam possit intelligere. **U**trum etiam liceat confessionem dimidiare dicendum quod non quia oportet quod vni fiat confessio omnium que habentur in memoria. Si vero aliqua exciderint a memoria non debet ob hoc iterari alias reputari confessio dimidiata quod si homo peccatum quod in priori confessione oblitus fuit postmodum confiteatur etiam alteri. non oportet propter hoc totam confessionem iterare. licet hoc quidam senserint sed sufficit quod confiteatur hoc peccatum quod oblitus fuit expressim se vel explicite. **A**lia autem in generali di